

in alterius notam congruit, ut 10 & 20, ut 100 & 200, ut 3000 & 2000, quod etiam fit notis collectis numeris, ut 10 & 11, ut 12 & 108, ut 252 & 1584.

13 Atqui si numeri pluribus notis descripti & collecti summa longior fuerit, ut eam suis partibus efferre cōdiscas, fines periodorum punctis distinguantur.

Numerum igitur decem his notis sic interpunctum

1 2 3 4 5 6 7 8 9 0

ita enunciabis: Primo membro dices millies millena millia: Secūdo, ducenties tricies quater millena millia: Tertio, quingenta sexaginta septem millia: Quarto, octingenta nonaginta. Quapropter hoc commune velut alphabetum decem notarum ad quemlibet notandum numerum esto: alphabetum tamen non voci, sed manui & scriptura, id est, abaco necessarium.

14 Numeri eidem æquales, sunt inter se æquales.

Euclides 1 axiomate 1. ut 2 & 2 sunt æquales tertio 2: ergo inter se æquales. Hoc axiomate valores æquales judicantur, quos numerus idem arguit. Intelliguntur enim totidem ē partibus, hoc est, unitatibus, cōstare. ut 260 asses faciunt 13 libellas: 5 aurei sunt 260 asses: ergo 5 aurei faciunt 13 libellas.

CAPUT II. DE ADDITIONE.

1 Numeratio ē duobus oblatis numerorum terminis tertium invenit.